



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

§. 1. Per monstra aliquid significari.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

*Simulq; concreſcentibus,
A mente matris inſtam,
Natus refert imaginem.*

XIV.
Lud. Viues
l. 2. de Chri-
ſtian. femina.

Qua de cauſſa eruditus Hiſpanus, paulò antè à nobis laudatus, matres, dum vterum ferunt, etiam atq; etiam conſiderare iubet, quàm periculoſa validaq; ſint, in humano corpore, imaginationes; atq; capropter operam dare, ne quam admittant de formis, turpis & obſcœnæ rei cogitatione; Item vt pericula deuitent, in quibus fœda aliqua viſu ſpecies poſſit occurrere. Quòd ſi eas occaſiones adeant, præcogitent, quid quid poſſit oculis offerri; ne ex inopinata nouitate noceat, ſi quid ſubitò aſpexerint, vnde contrahat noxam fœtus. Mihi fœminæ prægnantes non tantùm admonendæ ſunt, vt à Comædijs, pugnis, imaginum curioſitate abſtineant; ſed multò maximè etiam, ne ex fornicatione, adulterijs, incaſtu, ſacrilega cum cacodæmone conſuetudine prægnantes ſiant. Quid mirum, ſi ſequitur fegetem meſis? Qui bonas fruges volunt legere, non debent facere malorum ſementem. Tantum ergò abeſt, vt Deus ſit ab iſtis arguendus, vt ipſi potiùs cauſſa ſin- ſuæ calamitatis, & quidem Phyſica ac naturalis; longè tamen frequentius cauſſæ morales intercurrunt.

CAPVT LII.

*Prima moralis Monſtrorum cauſſa, vt ſint ſigna
Dei, monere, aut ſanare volentis.*



Deſte ergò impatientiæ pupilli, qui naturæ legem dicitis; & in cælum os ponitis, atque arma in ipſos ſuperos mouetis, quando infantuli vobis adeò in- formies naſcuntur, vt non homines, ſed abominationes vide- antur: quibus etiam vulgò fertur, meliùs prouifum fore, ſi in lucem numquam prodijſſent. Siquidem, vt *monſtra* non mon- ſtrant tantùm aliquid, ſed etiam ipſa monſtrantur, & velut *oſtenta* oſtenduntur, ſi qui velut Argi nimis oculi; aut tam- quam Cyclopes vnoculi; aut, Iani inſtar, bifrontes; aut, ad Cerberi formam, tricipites; vel, vt Hecate, multiformes pa- riuntur,

riuntur. Putanturque hæc ingens parentum infamia, tristitia amicorum, propinquorum verecundia, naturæ dedecus esse. *Regula est humana natura, ut omnis homo nascatur duos oculos habens, & quinos digitos,* ait S. Chrysostrmus (in Matth. 23. hom. 45.) aliquando tamen ut manifestentur opera Dei, nascitur homo aut sex digitos habens, aut oculos omninò non habens. Inter quæ opera est diuinæ vindictæ vel præsentis, vel impendentis significatio. Siquidem plerumque monstra aliquid monstrant, & portenta futurum aliquod malum vel bonum portendunt, (ipso Cicerone dicente: *Prædictiones & præsentiones rerum futurarum, quid aliud declarant, nisi hominibus ea, quæ futura sunt, portendi, prædici, ex quo illa, ostenta, monstra, portenta, prodigia dicuntur?*) quando vel ipsi parentes in monstrosa prole, vel alij per alia prodigia instruuntur, vel plectuntur. Imò penam sæpe monstra & significant secuturam, & post se, aut secum ipsa non rarò trahunt. Sicut enim benignus Mundi Gubernator, per somnia, per oracula, per Prophetas; ita & per monstra aliaq; prodigia dat meruentibus se significationem, ut fugiant à facie arcus. Quin & improbos, & totas gentes præmonet de futura clade. Sic aiunt, tempore regis Xerxis, vulpem ex equa creatam, dissolutionem regni eius portendisse; tempore Alexandri, ex muliere monstrum natum, quod superiores corporis partes hominis, sed mortuas habuerit; inferiores diuersarum bestiarum, sed viuentes, significans repentinum regis interitum. Superuixerant enim deteriora melioribus. Et hæc quidem apud Ethnicos contigerunt, apud quos itidem neque reges; neque regna, sine diuino nutu, sunt punita. Ne pœna autem inexpectata esset, haud rarò eos monstra præmonuerunt. Quid quòd ipse malus dæmon, ut est grauium malorum author, ita nōnuquam etiam cogitur esse eorundem vaticinator?

Cic. lib. 2. de nat.

Psal. 59. 6.

Vide plura exempla, apud Plin. lib. 7. cap. 3.

Mirabile est, quod Strozius Cicogna refert de Spiritu incubo, qui Polycriti formâ, Etolorum Princeps creatus esse, & inuenculam Locrensem uxorem duxisse, legitur, cum qua, tribus ex actis maritali consuetudine noctibus, subito disparuit, gravidamq; uxorem reliquit, qua postea Hermaphroditum monstruosum valde par-

II. Stroz. Cicogna in theatr. vniuers. nat. part. 1. l. 3. c. 1. & ex eo Hen-

Y Y Y

1111